

LÁSZLÓ HAVAS

**MORUS HUNGARICUS SIVE SPECULUM REGIUM AD PRINCIPEM  
EIUS SAECULI SCRIPTUM QUOD AEVUM LUCUM SEU LUMINUM  
VEL SUMMAE ERUDITIONIS AUT ILLUMINATIONIS NOMINATUR,  
SIVE FORTUNA THOMAE MORI IN HUNGARIA LATINA\***

Speculum regium ut genus litterarium aetate aequale cultui litterarum in Hungaria esse videtur, quod litterae Latinae in hoc regno Hungarorum cum libello coniunctae nascuntur qui *De institutione morum sive admonitio spiritualis* inscribitur et regi Sancto Stephano conditori Hungariae adtribuitur, et ad ducem Emericum adhuc puerum disciplina domestica usum pertinet.<sup>1</sup> Hoc opusculum praecepta de moribus atque de ratione civili comprehendit, ut dux, princeps futurus ad ea animum intendat quae officia imperatorum Agustorum esse habentur. Haec traditio litteraria per saecula non intermittitur ut specula regia Andreae Pannonii et aliorum scriptorum viventium florentiumque aetate artium renascentium barocarumque demonstrant.<sup>2</sup> In hoc genere ultimum locum servato temporis ordine obtinet liber a Francisco Xavero Szuhányi anno 1790 Cassoviae editus, qui *Thomas Morus* inscribitur et sub specie olim Angliae cancellarii iuvenem principem docet, quid facto opus sit, ut sceptro admovendus sibi gloriam, salutem regno, subditis felicitatem pariat. Auctor Societatis Iesu magna ingenia Ecclesiae sanctae nec non Antiquitatis classicae et Humanitatis secutus reprehendit imperium immoderatum male tenentem i. e. sane Iosephum secundum,<sup>3</sup> ei sententiam Fénelonii laudans quae infelicissimum mortalium esse regem dicit, qui felicitatem metitur suam ex aliorum miseria, quam ipse idem infert. In hoc opere, quod complectitur virtutes, quas principem animo inserere, atque vitia, a quibus sibi cavere eum oportet, Thomas Morus se ipsum iam ostendit educatorem optimi principis ante litteras Apostolicas anno MM datas, quibus Sanctus Thomas Morus gubernatorum, politicorum virorum ac mulierum proclamatur patronus.<sup>4</sup>

\* Lecta est oratio in conventu qui *Litterarum vis* nominatur et habitus est Szegedini in Hungaria a die XXIV mensis Iulii usque ad Kal. Aug. a. MMVIII.

<sup>1</sup> V. editionem a me factam: Sancti STEPHANI Regis primi Hungariae *Libellus de institutione morum sive admonitio spiritualis* – Saint ÉTIENNE de Hongrie, *Petit traité d'éducation morale ou exhortation spirituelle*, textum edendum curavit et apparatu critico instruxit L. HAVAS, translatione Franco-Gallica instruxit J.-P. LEVET, volumen tertio corrigendum augendumque rededit E. TEGYEY, Debrecini, MMVIII. Hic bibliographia de opere laudato invenitur: LXXIX sqq. et 79 sqq.

<sup>2</sup> V. de hac materia litteraria librum ab Aemilio HARGITTAY scriptum qui inscribitur *Gloria, fama, literatura* (lingua Hungarica), Budapestini, 2001, passim. Cf. exempli gratia articulum de Andrea Pannonio a Cs. BÍRÓ editum: *Das Leben und das Werk des Andreas Pannonius*, ACD, 37(2001), 109–123.

<sup>3</sup> Cf. de eodem K. GUTKAS, *Joseph II.: Eine Biographie*, Wien–Darmstadt, 1989.

<sup>4</sup> V. Summi Pontificis litteras apostolicas motu proprio datas *Quibus Sanctus Thomas Morus gubernatorum, politicorum virorum ac mulierum proclamatur patronus*, Ioannes Paulus PP. II ad perpetuam rei memoriam.

THOMAS MORUS,  
Q L I M  
ANGLIÆ CANCELLARIUS,  
JUVENEM PRINCIPEM  
D O C E T,  
Q U I D F A C T O O P U S S I T,  
U T.  
SCEPTRO ADMOVENDUS,  
S I B I G L O R I A M,  
S A L U T E M R E G N O,  
S U B D I T I S F E L I C I T A T E M  
P A R I A T

---

A  
FRANCISCO XAV. SZUHÁNYI



---

C A S S O V I Æ,  
TYPIS JOANNIS MICHAELIS LANDERER,  
PERPETUI IN FÜSKÚT.

1 7 9 0.

Et nunc ad auctorem describendum et opus eius subtiliter explicandum explanandumque venire debemus. Quantum ad Franciscum Xaverum Szuhányi adinet, Agriae in Hungaria natus est anno MDCCXLII, et in Societatem Iesu anno MDCCLIX ingressus est.<sup>5</sup> Idemque abrogatione ordinis Iesuitarum decreta clericus factus gymnasium Agriense dirigebat et postea vicedirector mox rector principalis Academiae Cassoviensis ideas adversus philosophiam et ideologiam saeculi luminum libellis suis propagabat. Sic personam Thomae Mori potestatem regis immoderatam vituperantis induere voluit, qui quodam in discrimine rei politicae et oeconomicae versante natione Anglorum, regni Cancellarius a rege Henrico VIII est nominatus, ut regi populoque inserviret operam suam sedulo impendens. Sua principia fideliter servans iustitiam tuitus est itemque illos coercuit qui sua persequentes negotia debiles graviter exercebant. Cum Henrici VIII propositum in potestate Ecclesiam Anglicam habere cupientis sustinere nollet, sese a munere abdicavit, sed a proposito suae conscientiae nullo pacto demoveri voluit,<sup>6</sup> idcirco iussit rex, ut in Londiniensi turri Touver dicta in vincula coniceretur, ubi varias animi sollicitationes passus est. Thomas haud mentem mutavit. In ius vocatus, strenue tuitus est rationes suas de coniugii indissolubilitate iubentibus legibus sacris. Igitur iudicio regio damnatus, obruncatus est unus ex martyribus Ecclesiae Sanctae in immoderatum dominatum saecularem belligerantis.<sup>7</sup>

Auctor ergo catholicus Hungaricus nomine Szuhányi sponte sua exemplum Thomae Mori sequi voluit, ut veritatis via hoc iniquo fidei catholicae tempore demonstraretur, cum difficiles provocationes gravesque disceptationes coram Ecclesia a Iosepho secundo multiplicarentur ut saltem fert opinio Szuhányi, qui non vult simpliciter opera a Thoma Moro<sup>8</sup> scripta imitari ut exempli causa quae *Utopia* et *Vita Richardi regis* inscribuntur, et quae principem locum sibi vindicant.

<sup>5</sup> V. de eodem articulum a J. DEMETER Hungarice scriptum sub voce laudata in opere manuali quod inscribitur *Új magyar irodalmi lexikon* (Lexicon novum de litteris in Hungaria cultis), Budapestini, 1994, III, 2180. Cf. opus ab Á. KONCZ redactum quod inscribitur *Egri egyházmegyei papok* (Sacerdotes dioecesis Agriensis), Agriae (Eger, lingua Hungarica), 1892.

<sup>6</sup> V. Iohannis Pauli II Litt. *Encycl. Veritatis Splendor*, 58.

<sup>7</sup> V. litteras p. m. Iohannis Pauli II supra laudatas.

<sup>8</sup> De vita et operibus Thomae Mori v. litteraturam specialem et Britannice scriptam: G. WEGEMER, *Thomas More: A Portrait of Courage* (1995); *The Life of Thomas More* (1999); *God's Messenger: William Tyndale, Thomas More and the Writing of the English Bible* (St Martin's Press, 2003); et Franco-Gallice scriptam: L. BOUYER, *Sir Thomas More, humaniste et martyr*, CLD, 1984; G. MARC'HADOUR, *Thomas More, un homme pour toutes les saisons*, Les éditions ouvrières, 1992; Ph. GODDING, *Petite vie de Thomas More*, Desclée de Brouwer, 2002; et Germanice scriptam: R. MARIUS, *Thomas Morus: Eine Biographie*, Zürich, 1987; P. BERGLAR, *Die Stunde des Thomas Morus: Einer gegen die Macht*, Freiburg, 1978; neu aufgelegt bei Adamas, Köln, 1999; J. BERNHART, *Thomas Morus*, Konrad, 1979; H. P. HEINRICH, *Thomas Morus: Mit Selbstzeugnissen und Bilddokumenten*, Reinbek bei Hamburg, Rowohlt, 3. Aufl., 1991; D. HERZ, *Thomas Morus zur Einführung*, Hamburg, 1999; *Thomas Morus 1477/78–1535: Humanist – Staatsmann – Märtyrer. Katalog zur Ausstellung des Moreanum 1987 in der Stadtbibliothek Nürnberg*, Hrsg. St. FÜSSEL, München, Fink, 1987 (Pirckheimer-Jahrbuch, 3). – Editiones: *The History of King Richard the Thirde*, 1513; Thomae MORI *De optimo statu reipublicae deque nova insula Utopia*, (1515/1516); Thomae MORI *Utopia*, Lovanii sive Lovaniae, 1516; Thomae MORI *Utopia*, Lutetiae, 1517; Thomae MORI *Utopia*, Basileae, J. Frobenius, 1518; *Assertio septem sacramentorum*, 1521/1522; *Responsio ad Convitia Martini Lutheri*, 1523; traductio Britan-

Auctor Hungaricus nullam civitatem commenticiam delineat ut faciunt Plato in *Re publica* et ipse Thomas Morus in *Utopia*, itidem Szuhányi non simplex speculum principis scribit, quod genus litterarium cumprimis regulas et exempla ad reges pertinentia enumerat enarratque, sed redactor operis verum *enchiridion* principia generalia systematice distributa continens componit. Principem, inquit Morus Hungaricus,<sup>9</sup> eo politices studio imbutum esse oportet, quod divinae legi sit conforme, secus sibi ingentem inferet labem, regno multo maximam creabit perniciem. Quanto pleniore iure hoc a rege exigit deus, ut princeps omnia non sibi ipsi, aut fortunae, sed illi omnipotenti referat, quia ius natura exigit ab homine, ut dependentiam agnoscat a deo lege suprema existente, quae supremam veritatem ac bonitatem confirmat. Hoc secundum principium rectorem moderatoremque rei publicae ea agere oportet, quae felicitatem rei publicae conservant; ea vero fugere, quae labefactant.<sup>10</sup> Utique necesse est regendi methodum, qua princeps utitur, ordine et legibus commendandam esse.<sup>11</sup> Secundum auctorem neminem nostrum latet leges in qualibet re publica haud secus considerari posse atque pharmaca, quae ubi multa et varia fuerint, non tam prosunt, quam officiunt. Quare princeps optimus regni fortunam ordine meliore consistente ac a deo deducto augere conservareque possit. Sic potest nemo dubitare, quin princeps optimus non modo rex, sed pater patriae ab omnibus habeatur. Principium regnandi quartum, ut inquit auctor Hungaricus, eam sententiam sequitur, quae dicit imperantem multo felicissimum reddi, si cognoscat ingenium et naturam subditorum.<sup>12</sup> Singulare imperium abhorrent homines, quae declaratio libri scriptoris maledicit imperatori potestatis in unum collatae secundum aevi lucum ideologiam saecularem. Idcirco, quamquam subditos rebelles puniendos censeat Morus Hungaricus, non tamen ea poena, quae eos in desperationem agat, sed favore quodam demum conciliandos perquam necessarium esse arbitratur. His observatis omnibus plurimum interest principis,<sup>13</sup> ut in suorum amorem se insinuet, neve eorum odium incurrat. Nam magna quidem gloria principi a corona regia et sceptro principali venit, verum multo ampliore laude eum cumulant merita et facta dignitati regiae conformia. Princeps pervidere debet, quanta ex ea virtute redundatura sint in se commoda, si populum praecipuo quodam eoque sincero amore sibi devinciat. Quantum ad sextum propositum pertinet, Szuhányi regulam antiquam repetit, ex qua constat praecipuam regnantis curam esse,<sup>14</sup> ut iis utatur consiliis, quibus nec sibi, nec regno, nec subditis officiat. Eam ob causam, ait auctor noster, Romani principes consules dicebantur vel a consulendo civitatibus vel a regendo cuncta cum consilio. Ei

nica: Thomas MORE, *A Fruteful and Pleasaunt Worke of the Beste State of a Publyque Weale, and of the Newe Yle Called Utopia* (prima translatio), Londinii, Robinson, 1551. Opera quae exstant omnia: Thomae MORI *Opera omnia*, Basileae, 1557; Britannice: *The Workes of Sir Thomas More Knyght, Somtymes Lorde Chancellour of England, Wrytten by Him in the Englysh Tonge*, Londinii, W. Rastell, 1557; Latine: Thomae MORI *Opera omnia latina*, Francofurti a. M., 1689/1963.

<sup>9</sup> *Op. laud.*, 11 sqq.

<sup>10</sup> *Op. laud.*, 19 sqq.

<sup>11</sup> *Op. laud.*, 27 sqq.

<sup>12</sup> *Op. laud.*, 34 sqq.

<sup>13</sup> *Op. laud.*, 43 sqq.

<sup>14</sup> *Op. laud.*, 51 sqq.

principio conformis est sententia: necessarium esse, ut princeps in partem suorum laborum viros integrae fidei advocet. In rebus arduis nihil quidem utilius, sed nihil etiam periculosius est quam petere consilium. Prudentibus ergo consiliariis uti decet, qui veritatem sinceritate aperiant, non multis ornatisque verbis, sed paucis at magni ponderis, quatenus olim agebat Thomas Morus et nunc successor Hungaricus Iosepho secundo consilium dat, sic imperatori iuxta atque patriae quam optime consulens. Szuhányi quaestione concitatur, quis hominum delectus principi faciendus sit,<sup>15</sup> ut praecipuae in re publica dignitates hominibus dignis conferantur. E verbis ab auctore factis conicere licet, quam metuenda patriae imminere possit, si improbis auctoritas concedatur aut solito maior, aut ad longius tempus prorogata, quod in monarchia illuminata saepe accidit. Suspecti revocentur, ne quidem ignis sub cineribus lateat et in flammam erumpat, confestim enim opprimendum est malum. Hoc autem principium non crudelitatem sustinet, quod violentus imperandi et obsequendi modus<sup>16</sup> ruinam rei publicae parit. Princeps optimus popularis esse debet, nullusque iam debito, quin amore potius rector sit populum, quam poenis ac severitate, nihil enim perinde odit ingenua natura atque nimiam potestatem, quam monarchia absoluta aevi luminum proposuit. Ecce praecepta generalia ab Iesuita nostro enumerata et argumentis firmioribus sustentata quibus quaedam particularia principia accedunt, quibus omnis regni felicitas non comparatur dumtaxat, sed conservatur etiam, ut sunt secundum Morum Hungaricum: religio, iustitia, arma, pax et opes.

Haec elementa methodo philosophica demonstrat pars speculi regii nostri altera, quae “Theoremata” inscribuntur. Hic auctor ut primum theoremata declarat<sup>17</sup> nihil ad felicitatem regni tum procurandam, tum conservandam conduci atque religionem. Qui enim deo fidelem se non exhibet, necesse est, ut principi una infidelis existat Patriam extrema paene calamitate involvunt, in quibus nullus supremi numinis metus, nullum ius iurandum, nulla religio existit. Idcirco nulla gens teste Cicerone, nulla tam immansueta, nulla tam effera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere deum deceat, habendum tamen sciat, quod omnes nationes supravivere volunt. Ex quo theoremate apud Morum Hungaricum deducitur corollarium primum<sup>18</sup> quod dicit esse necesse principem omnibus viribus eniti, ut veram religionem in regno conservet; nullius fidei homines a munere amoveat. Hoc consilium quasi iudicium esse videtur severissimum ex damnationis sententiis in potestatem illuminationis immodestam saecularem dictis. Videre itaque princeps debet, quanti sua referat, ut veram religionem in suis conservet ditionibus. Quod ad corollarium secundum adinet,<sup>19</sup> in hoc Szuhányi scribit maiorem in deum iniuriam concipi vix potesse, quam concedere facultatem de religione quidvis sentiendi, quae sententia loquitur alia de potestate absoluta, de potestate scilicet Ecclesiae infinita et a philosophis illuminationis negata. Sequitur corollarium tertium<sup>20</sup> dicens potestatem summi pontificis Christi in

<sup>15</sup> *Op. laud.*, 65 sqq.

<sup>16</sup> *Op. laud.*, 71 sqq.

<sup>17</sup> *Op. laud.*, 77 sqq.

<sup>18</sup> *Op. laud.*, 81 sqq.

<sup>19</sup> *Op. laud.*, 87 sqq.

<sup>20</sup> *Op. laud.*, 90 sqq.

terris vicarii in honore principi habendam esse, quod reperitur pars organica theoriae de Ecclesia, de corpore Christi ut eam Paulus sanctus apostolus definit. Morus Hungaricus separatim et imprimis praedicat merita praeclara regis Hungariae apostolici, Sancti Stephani in rem publicam sacram, sic traditione regni Hungarorum veterrima contra monarchiam luminum saeculi invadere auctor conatur. Igitur teste Szuhányi principi vero cavendum esse ne permittat Romanam sedem aut libris proscindi, aut publicis thesibus auctoritatem eius imminui. Hoc postulat necessitas, quia caveat monarcha, nisi iram dei in se inducere velit, ne in res sacras se inmiscat.<sup>21</sup> Constat enim neminem reperiri posse, qui violatis sacris iram supremi numinis effugisset.

De iustitia et iudicio loquitur theorema alterum<sup>22</sup> quod has notiones exponit duos cardines, in quibus rei publicae felicitas consistit. Theorema alterum sustinet ideam, secundum quam iustitia nomen principis immortalitati prae aliis transcribit, si ita exercentur, ut eius natura exigit. Cum auctoritas regis videatur esse loquens iustitia et lex animata, quam ob rem perite nonnemo ait principis iustitiam regni animam esse qua recedente actutum dissolvitur corpus. Quare constat iustitiam optimam regni custodem diligentissimum esse et in aeternum fore. At verum est illud Ennii, quem Cicero sua sponte bene sequitur: summum ius summa iniuria. Ex hoc theoremate fluit apud Morum Hungaricum corollarium primum: ubi ratio subicitur potentiae, iustitia convertitur in iniuriam.<sup>23</sup> Nam fama est herbae basilicae cives rei publicae persimiles esse, quae cum leniter tractatur gratum maribus spargit odorem, si prematur aut vi avellatur maiore, pessime olet, idcirco homines severitate nimia tractati iugum excutere meditantur. Et sequitur corollarium alterum<sup>24</sup> dicens principem observatorem legum esse oportere, ut exemplo sit subditis. Dum hac de virtute clarum praebebit testimonium, nunquam apud posteros intermorituram pariet gloriam. Quam ob rem, inquit corollarium tertium,<sup>25</sup> tribunalibus eos princeps praeficiat iudices, qui scientia iuxta atque aequitate sunt conspicui. Cui corollario accedit quartum:<sup>26</sup> princeps in distribuendis praemiis ac irrogandis praemiis perquam cautus sit, ne iustitiae limites excedere videatur, sic enim tyranni nec non monarchae potestate absoluta dati iniuste faciunt. Nec princeps iustus semper poena contentus esse debet, sed poenitentis animi signo.

Theorema tertium<sup>27</sup> declarat principi necesse esse frequentem armatam manum continuo adesse, secus regnum felicitate periclitari. Szuhányi quidem scit raro admodum deveniendum esse ad arma, et si necessitas exigit etiam cavendum esse, ne temeritatis aut iniustitiae arguatur quisquis suprema potestate ceteris praeest. Princeps nolit armis regni limites plus augere quam iustitiae leges patiuntur, sed fiduciam in munitionibus et thesau-

<sup>21</sup> *Op. laud.*, 97 sqq.

<sup>22</sup> *Op. laud.*, 102 sqq.

<sup>23</sup> *Op. laud.*, 107 sqq.

<sup>24</sup> *Op. laud.*, 112 sqq.

<sup>25</sup> *Op. laud.*, 117 sqq.

<sup>26</sup> *Op. laud.*, 123 sqq.

<sup>27</sup> *Op. laud.*, 132 sqq.

ris et inprimis in civibus suis reponat. Ex quo eruere licet corollarium primum<sup>28</sup> secundum quod bella non magis corporis robore, quam consiliis et prudentia geruntur. Quid igitur mirum, inquit Morus Hungaricus, si nonnulli regnantes quamvis numero militum inferiores, victores tamen de hoste evaserint, cum tanti valeat ingenium. Postea corollarium secundum<sup>29</sup> sequitur dicens principem exteras potentias ad bellum non provocare, quamdiu pacem cum iis colere potest, cum pugnae exitus incertus sit. Nunc corollaria tertium et quartum<sup>30</sup> ex eodem theoremate deducenda praetermitto et insisto corollariis quinto sextoque laudandis,<sup>31</sup> ubi quaeritur, quae praecipuae imperatoris exercitus belli tempore sint curae; et qua cautione principi finito bello uti deceat. Parta victoria principem scire oportet singulari opus esse moderatione et temperantia, quod mortem superbia victoris non paucis magni nominis principibus excitatam esse docemur ex vetere ac nova historia.

His ex omnibus iam concluditur, quo modo principi pax prae bello optanda sit, quia princeps, qui pacem neglegit, summam in natura humana felicitatem non agnoscit, ut ait theorema Mori Hungarici quintum.<sup>32</sup> Ex quo haud dubie enascitur corollarium primum<sup>33</sup> de principio providentiae regis in pace sancienda induciisque concedendis adparentis. Corollarium autem alterum<sup>34</sup> monet principi cavendum esse, ne foedus cum quavis potentia temere ineat, nisi maximo discrimini regni felicitatem obicere velit. Secundum quidem corollarium tertium<sup>35</sup> sapientis principis est ea uti moderatione, ne seditiones in regno enascantur et iam enatae sopiantur, rex ergo omnem agendi rationem ad aequitatis leges exigere debeat plusque regni ac civium felicitati quam suae studere videatur. Corollario quarto praetermisso<sup>36</sup> ad theorema proximum<sup>37</sup> venio quod declarat opes publicas plurimum ad felicitatem regni conferre, et principem in perniciem praecipitem ruere, si felicitati suae consulat. Ex eo fundamento oritur corollarium primum<sup>38</sup> statuens opes cumprimis regni conservandi causa expetendas esse, quia, ut inquit corollarium tertium,<sup>39</sup> odit communis salus eos pastores, qui nesciunt oves tondere, sed non deglubere opus esse. Idcirco enitatur princeps conatu suo quam potest maximo, ut homines puros ab omni fraude aerariis praeficiat, quomodo sancit corollarium quartum.<sup>40</sup>

<sup>28</sup> *Op. laud.*, 136 sqq.

<sup>29</sup> *Op. laud.*, 141 sqq.

<sup>30</sup> *Op. laud.*, 146 sqq.

<sup>31</sup> *Op. laud.*, 157 sqq.

<sup>32</sup> *Op. laud.*, 171 sqq.

<sup>33</sup> *Op. laud.*, 175 sqq.

<sup>34</sup> *Op. laud.*, 179 sqq.

<sup>35</sup> *Op. laud.*, 185 sqq.

<sup>36</sup> *Op. laud.*, 193 sqq.

<sup>37</sup> *Op. laud.*, 199 sqq.

<sup>38</sup> *Op. laud.*, 203 sqq.

<sup>39</sup> *Op. laud.*, 211 sqq.

<sup>40</sup> *Op. laud.*, 217 sqq.

Theorema<sup>41</sup> apud auctorem nostrum ponit quaestionem quam maxime necessarium sit, ut non princeps a regia dignitate, sed regia dignitas a principe suum mutuetur splendorem congruenter regulae naturali ut sol orbi universo lucere debet. Ex quo sequitur corollarium primum:<sup>42</sup> princeps in omnes sit affabilis, ut sic plurima avertat mala, quae secus patriae saluti admodum officerent. Quod ad corollarium alterum<sup>43</sup> pertinet, imitator Thomae Mori dicit salutem regni a principe multo magis beneficiis, quam armis custodiri oportere. Corollaria quidem tertium<sup>44</sup> quartumque clementiam a principe poscit, quae suorum non sitit sanguinem, et si quandoque tonet etiam, non tamen semper fulminat. Eodem tempore, inquit corollarium quintum,<sup>45</sup> nulla in principem redundabit ignominia, si fraudem fraude refellat. Corollario sexto praeterito<sup>46</sup> ex septimo<sup>47</sup> sententia eminet, secundum quam singularis gloria ac auctoritas principis non minus fortunae, quam virtuti est; nam virtus dum sola est, persaepe non agnoscitur, comitem si habeat fortunam, ab omnibus suspicitur.

Attamen non contradicit potestati infinitae id theorema,<sup>48</sup> quo Szuhányi principem sic admonet: premat potius, quam divulget, qua mente concludat, secus aegre admodum cogitationes suae optatum effectum sortientur. Multum enim iuvat secundum corollarium primum<sup>49</sup> principem tecto esse animo, quod facilius adsequetur fines sibi praestitutos, quam magna voce. Praeceptor ergo principis ipsam potestatem immoderatam accusat, non omnes eius methodos acceptabiles nonnunquam bonas, quia sapientis principis est teste corollario altero<sup>50</sup> tempori se accomodare. Attamen princeps ne viribus suis plus nimio fidat, secus non levem sibi perniciem creabit. Haec sententia admonitionem severam imperium sine fine tenenti significat. Et similes opiniones formulant posteriora huius theorematum corollaria a nobis tempore egentibus hic omissa.

Restat nobis ad finem speculi regii explicandam venire, ubi enumerantur,<sup>51</sup> quae principi regnanti prae aliis laudi vertantur, et quae adscribantur vitio. Teste de hoc theoremate imperanti munus est regere, ius dicere et omnium prospicere salutem, quia necesse est, ut praesentem principem cuncti diligant, mortuum perinde amore prosequantur. Ex quo concluditur corollarium primum<sup>52</sup> declarans principem summa cum laude regnum moderari, si noverit se ipsum regere. Sequitur corollarium alterum<sup>53</sup> quod affirmat oportere principem ea integritate ius dicere suis, ut non modo non arguatur sceleris, sed ne

<sup>41</sup> *Op. laud.*, 221 sqq.

<sup>42</sup> *Op. laud.*, 225 sqq.

<sup>43</sup> *Op. laud.*, 229 sqq.

<sup>44</sup> *Op. laud.*, 234 sqq.

<sup>45</sup> *Op. laud.*, 242 sqq.

<sup>46</sup> *Op. laud.*, 248 sqq.

<sup>47</sup> *Op. laud.*, 260 sqq.

<sup>48</sup> *Op. laud.*, 265 sqq.

<sup>49</sup> *Op. laud.*, 269 sqq.

<sup>50</sup> *Op. laud.*, 274 sqq.

<sup>51</sup> *Op. laud.*, 288 sqq.

<sup>52</sup> *Op. laud.*, 292 sqq.

<sup>53</sup> *Op. laud.*, 297 sqq.



ullius quidem suspectus videatur delicti. Deinde corollarium tertium sequitur,<sup>54</sup> ex quo apparet oportere principem omnium salutem non secus curare atque filiorum pater. Corollario quarto omisso,<sup>55</sup> quintum inquit,<sup>56</sup> caveat princeps, ne ministros perversos aut adultores in consilium suarum cogitationum advocet, nisi odium suorum incurrere velit. Denique corollaria sextum<sup>57</sup> nonumque<sup>58</sup> aiunt principem eniti debere conatu quam potest maximo, ut se idoneum regendo regno praestet. Imperantis libidine prolapsae sunt monarchiae, eversa imperia, quae olim floruerunt.

Ecce existimatio critica immo reprehensio Mori Hungarici de ea monarchia ideis et principiis saeculi illuminati<sup>59</sup> imbuta quae ad extremum Machiavellistarum secta originem traxit. Franciscus Szuhányi huic conceptui regiminis contradicens fundamenta eius imperii ponit quod verba dei secutum salutem communem plurimum aestimat adfirmans hominem utpote animo et corpore constantem duo bonorum genera habere, attamen bonum supremum tantummodo apud Deum esse posse cuius mediatorem erga homines principem optimum virtutes habentem debere esse. De hoc argumento auctor Hungaricus speculi regii examinati tractatum systematicum exaravit exempla de auctoribus excellentibus antiquitatis et medii recentiorisque aevorum deprompta sermone oratorio historicoque apte et eleganter et eloquenter enumerans. Haec methodus quidem discrepans esse videtur de praxi in *Utopia Moriana* ab auctore Anglico exercita, quod hoc opusculum de optimo statu reipublicae deque nova insula Utopia fortasse secundum regnum Hungariae lontanum<sup>60</sup> excogitata inscribitur,<sup>61</sup> id est de statu ideali solo, dum ex contrario regimen principis apud auctorem Hungaricum tempori convenienter semper mutatur. Attamen opinio firma de libertatis Ecclesiae defensione ab iniustis Status interventibus apud utrumque scriptorem opinio communis esse videtur, qua efficitur simul defensio libertatis personae coram publica potestate, quae finis proposita nuperrime opportunitatem maxime habet. Declaratio enim iuris hominis illustrat quomodo in mundo huius temporis crescat “conscientia eximiae dignitatis quae personae humanae competit, cum ipsa rebus omnibus praestet, et eius iura officiaque universalis sint atque inviolabilia”.<sup>62</sup> Quod qui-

<sup>54</sup> *Op. laud.*, 302 sqq.

<sup>55</sup> *Op. laud.*, 307 sqq.

<sup>56</sup> *Op. laud.*, 312 sqq.

<sup>57</sup> *Op. laud.*, 316 sqq.

<sup>58</sup> *Op. laud.*, 331 sqq.

<sup>59</sup> V. ex. gr. de hoc regimine: *Le Despotisme éclairé*, Hachette, 2000 (Pluriel); J. MEYER, *Le Despotisme éclairé*, PUF, 1991 (Que sais-je ?).

<sup>60</sup> De hac suppositione v. TÓTA P. B., *Morus magyaros országmagyarázata* (Explicatio Mori de re publica ideali modo Hungarico data), *Vigilia*, 67(2002), no. 5; Thomas MORUS, *Erősítő párbeszéd balsors idején* (Dialogus exhortativus tempore fortunae sinistrae, traductio Hungarica), edd. SZÓCS G., FÁJ A., Budapest–Kolozsvár, 2004.

<sup>61</sup> Vide generatim de “utopia” addita utopia a Thoma Moro descripta: Chr. COUSIN, *Sur la route des utopies*, Paris, 2007; A. JACQUARD, *Mon utopie*, Stock, 2006; Thomas MORE, *L’Utopie*, 2003; J. ATTALI, *Fraternités : une nouvelle utopie*, Le Livre de Poche, 2002; E. FROMM, *L’Homme et son utopie*, Desclée de Brouwer, 2001; J. SERVIER, *Histoire de l’utopie*, Paris, 1991; G. LAPOUGE, *Utopie et civilisations*, Paris, 1991; R. DUMONT, *L’Utopie ou la mort*, Paris, 1974; M. SALERNO, *La Deuxième Terre*, 2004.

<sup>62</sup> V. constitutionem *Gaudium et spes*, n. 26.

dem ponitur fundamentum cuiuslibet ordinis civilis qui cum hominis natura convenit, ut pontifex maximus Iohannes Paulus Secundus ipse proclamavit in litteris apostolicis motu proprio datis et iam laudatis. Summatim ergo valet haec aestimatio de Moro Hungarico. De opere originali agitur, quod cultum martyris Anglici eodem tempore accepit Szuhányi, quando quidem veneratio Mori non erat generatim spectata nec in more exemplum cancellarii Angliae recolere. Igitur speculum principis examinatum unum ex monumentis litterariis veterum sapientiae preciosis ac pars hereditatis culturae Europaeae perpetua organicaque esse videtur. Tollite, legite!